



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.  
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,  
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,  
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Tegernseense monasterium in Bauaria.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11261**

Hanc Basilicam Hasteriensem ab Alberone Metensi Episcopo constructam, in eaq̄ primū moniales resedisse, ac demū, per mutatione quādam in itā, ad Vualciodorenses deuenisse, ex loci eius monumentis traditur, in manuscripto quodam codice monasterij Trudonensis, quo olim vsi sumus.

## CAPVT LIV.

*Tegeriseense monasterium in Bauaria.*

**A**lbertus & Ottogerion illustres Boiariæ Comites, ita in diplomate appellantur isti duo fratres, in superiori Vindelicia intra Isaram & Oenum in faucibus Alpium, prope lacum Tigurinum, contubernium monachis fundarunt, quorum Præsul, Boiariæ Antistites omnes dignitate antecellit. Nam cœnobium fossa, mœnibus, tormentis bellicis, & alijs huiuscemodi instructum, instar Regiæ possidet, more Principum equestris ordinis officiales perpetuos habet. Instauratur hoc monasterium ab Ungaris exustum per Ottonem Imperatorem secundum & Ottonem filium Luitolphi, fratris Ottonis secundi, Ducem tum Boiariæ & Sueuiæ, qui monachis cœnobium cum prædijs restituit, Hartuicum præficiunt, & profanos qui religiosorum locum occupant, migrare iubent, anno 979. Fuerunt isti fundatores

tores Comites de Vvarngevv & Tegernsee; quidam suspicantur fuisse filios Grimoldi Ducis Superioris Bauariæ, ex familia primorum Ducum & Regum Bauariæ, occisi in tumultu. Diploma Henrici sexti astipulatur, in quo hos fundatores regali prosapia ortos dicitur his fratribus has ditiones inter Isaram & Oenum Alpibus subditas, scilicet Vvarngevv & Tegernsee, à Carolo Marcello fuisse traditas, auctor est Auent. lib. 3. Anual. Diploma Ottonis secundi, cuius exemplum infra in fine ponitur, habet, hos duos germanos fratres & illustres Comites in suo & de suo patrimonio temporibus Pipini Regis Francorum ipsius permisso, condidisse hoc monasterium; vnde præsumitur, hos de antiqua nobilitate Bauariæ fuisse, qui vnà cum fratre Vttone etiam alias ditiones in Bauaria & in Austria tenuerunt. Vtto enim ad Ilmum fluiiū monasterium Ilmunster instituit, quo ossa S. Arsatij transtulit Ioan. Auent. Superiores duo fratres infra Anassum instituerunt monasterium S. Hypoliti, vulgò *Sant Pelten*. De fundatione huius monasterij exstant quædã in libro quodã scripto monasteriorū Bauariæ, & Indice Abbatū huius monasterij de filio Ottocari in Gallia, à filio Regis Pipini in ludo Schachorum occiso, quæ tamquam fabulosa Auent. in Chronica omisit. Ego de hac re nihil certius puto inueniri quàm quod in priuilegijs tū Ottonis secūdi, tum Henrici sexti, & Friderici secundi Imperatorum cōtinetur.

Petri